



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

XIX. De eodem ex statuto domini Ioannis episcopi Tusculani apostolicae  
sedis legati, quod incipit: Vsurarios actus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

ANNO  
CHRISTI  
1420.

\* f. cons-  
munican-  
da.

\* mif. ha-  
bet festi-  
tos, haud  
dubie men-  
dosius.

XVII.

*Statuta summatim & ordinate sub certis titulis collocata,  
populo \* collocanda.*

Quoniam multa statuta prouincialia tam antiqua,  
quam etiam promulgata, nec non & quæ synodales ordi-  
nationes laicos concernunt, quorum \* quæ etiam satis di-  
noscuntur esse pœnalia. Vnde, ne ipsos ignorantes contin-  
gat detrimentum incurrire, quod dignum est eos poft-  
modum \* vetitos sustinere, idcirco statuimus & ordina-  
mus, quatenus singuli Saltzburgenſis diœcesis plebani ea-  
dem statuta laicos respicientia, prout inferius summatim  
ſubiectis rubricis & titulis ordinate continentur, quam ci-  
tius poterunt, eorum habita copia, aliquo die Dominico  
vel festuo, & deinceps singulis annis bis: ſemel ſcilicet  
in Dominica prima aduentus Domini, & ſemel in Do-  
minica prima quadragesimæ plebi ſibi commiffæ publi-  
ce in ambone vulgari lingua clare & intelligibiliter inti-  
ment publicent & exponant, ad obſeruantiam eorum-  
dem, prout vnumquemque concernunt, dignoſcitur,  
eamdem plebem fideliter exhortando.

XVIII.

*De vſurariis & eorum pœnis, ex statutis domini Guidonis  
tituli sancti Laurentii presbyteri cardinalis, apostolicæ  
ſedis legati, quod incipit: Item dolentes.*

Excommunicati ſunt ipſo facto vſuras exercentes, qui  
ſic communitati, ter in anno, videlicet in coena Domi-  
ni, in assumptione glorioſæ virginis Mariæ, in natuitate  
Domini, per plebanos & maiores ſuos debent de-  
nuntiari, aliis pœnis contra vſurarios editis nihilo minus  
ſaluis.

XIX.

*De eodem ex statuto domini Ioannis episcopi Tusculani  
apostolicæ ſedis legati, quod incipit:  
Vſurarios adiut.*

Vſurarii dicuntur etiam, qui ſub titulo emptionis vſuras  
excent, emendo ſcilicet pignus pro quantitate quæ  
mutuo petitur, & reuendendo eidem redemptionis tem-

Concil. Tom. 29.

V u u u ij

pore pro quantitate eadem adauēto numero vsurarum. Et hæc constitutio vna cum constitutione Gregorii X. in generali Concilio edita publicari debet singulis annis in quadragesima, leōto euangelio in singulis ecclesiis cathedralibus & collegiatis. Et tunc etiam vsuras exercentes contra dicti Concilii tenorem, ac illi qui eos retinēnt in domibus propriis, nominatim & in specie excommunicati debent denuntiari. Et vsurarium, etiam occultum, dum tamen duorum vel trium fide dignorum testium ipsum constiterit vsuras exercuisse, nec pro eo satisfactum fuerit, nullus recipere debet ad ecclesiasticam sepulturam. Alioquin ecclesiastici, in cuius coemeterio de consensu prælati siue capituli tale corpus sepultum fuerit, exhumatum ecclesiastico subiacet interdicto.

## XX.

*Intentio Concilii generalis, de quo supra fit mentio, quod habetur in cap. vsurarum, de vsuris libro sexto, in effectu est talis, ut sequitur.*

Constitutio Lateranensis Concilii contra vsurarios edita debet inuiolabiliter obseruari; scilicet, quod manifesti vsurarii ad communionem altaris & ecclesiasticam sepulturam, & oblationem faciendam, admitti non debent. Et qui eorum oblationes receperint, aut ad ecclesiasticam eos sepulturam admirerint, compelli debent reddere quod acceperint, & ad arbitrium episcopi ab officio suspendi. Item secundo præcipitur dominis terrarum & vniuersalibus, seu communitatibus, ne permittant alienigenas in terris & locis suis conducere domos, & iam conductas retinere ad exercendum vsuras. Contrarium facientes, si sunt episcopi, aut eorum superiores, suspensionem; alii vero inferiores, excommunicationis; communites autem interdicti sententias & poenas incurront ipso facto: quas suspensionis & excommunicationis poenas, si episcopi, & eorum superiores, aut singulares personæ per mensem sustinuerint animo indurato, eorum terræ, quamdiu huiusmodi vsurarii in ipsis permanerint, ecclesiastico subiaceant interdicto: & nihilo minus laici ab huiusmodi excessu per suos debent ordinarios compesci.